



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 7. De Beatitudine Objectiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

DISPUTATIO VII. DE BEATITUDINE OBJECTIVA.

281. Certum est apud Theologos, & constat à num. 15. Deum esse objectivam nostram beatitudinem. Quæstio autem est in præsentem, quæ nam sint prædicata divina, cujus objectivæ, & essentialis beatitudinis formaliter constitutiva, sive quod idem est, quænam sint illa divina prædicata, quibus intuitivè visis, & amore fructivo amabili amatis, creatura quieta, & satiata maneat, secunda de sua felicitate? Omnia prædicata necessaria absoluta esse de essentia objectivæ beatitudinis constat ex dictis in Tract. de Deo à num. 90. Ubi diximus, ea omnia prædicata esse de metaphysico constitutivo essentia divine; & à num. 130. ubi probavimus, nequaquam posse cognosci unum prædicatum divinum necessarium absolutum, altero non cognito. Beatitudo enim objectiva haberi non potest, quin habeatur Deus, ut est in se, ex illo 1. Joannis 3. *Cum apparuerit, similes erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Ly enim est absolute dictum cadit supra essentiam. Unde omnes Theologi in præsentem conveniunt, esse de essentia objectivæ beatitudinis, quicquid est de essentia metaphysica Dei. Difficultas autem est, an data hypothese, de qua modo non disputamus, sed eam cum reliquis Theologis ad controversiam supponimus, quod nimirum intuitivè possit cognosci Deus ut unus, quin cognoscatur ut trinus, possit anima essentialiter beari, media visione atque amore ab ipsa pendente. Si enim ita contingeret essentialis objectiva beatitudo consisteret in Deo ut uno: Si autem creatura beari minimè posset, nisi viso etiam Deo ut trino, beatitudo nostra objectiva reponenda foret in Deo ut uno, & ut trino. Plures sunt sententiæ, quæ ad duas præcipuas classes possunt reduci. Prima docet, stare beatitudinem objectivam in Deo ut uno, & ut trino; ita ut si creatura per impossibile videret intuitivè Deum ut unum, eo ut trino non viso, non esset Beata. Ita Vasquez disp. 13. cap. 2. pluresque Thomistæ, quos sequitur Gonertus disp. 2. de beatitud. Secunda sententia tenet, Deum ut unum esse adæquatam, & essentialem objectivam nostram beatitudinem; ita Scotus in 1. dist. 1. quæst. 1. Exim. Doct. 1. 2. disp. 5. Sec. 3. Valentia, Salas, Granadus, Hurtadus, Arriaga, Martanon, Oviatus, pluresque alii tum ex nostris, tum ex externis.

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

282. Suppono 1. Certum esse, Beatos modò videre intuitivè & essentialiter, & omnes divinas Personas, ut constat ex Florentino citato num. 278. at

cum nulla sint Scripturæ, Conciliorum, aut PP. testimonia, in quibus dicatur, Deum non solum ut unum, sed etiam ut trinum esse beatitudinem nostram essentialem objectivam; exinde rationibus duntaxat Theologis deducendum est, an Trinitas Personarum pertineat ad essentiam, vel solum ad proprietatem objectivæ nostræ beatitudinis. Nulla enim afferuntur testimonia; quæ doceant, Trinitatem essentialem esse beatitudini nostræ objectivæ, sicut sunt plura testimonia, quæ docent beatitudini formali essentiali esse & visionem, & amorem, ut constat num. 195. & 203.

Supp. 2. In statu elevationis gratiam habituales, in qua justii decedunt non solum præferre jus, seu exigentiam ad beatitudinem essentialem, sed etiam ad illius proprietates, nimirum ad actus subsequentes visionem, & amorem fructivum, ad corporis glorificationem, ejusque doctores, ut constat à num. 217. & 225. Unde si per possibile, vel impossibile Beatus non haberet gratiam ita perfectam, qualem de facto habet, sed aliam, quæ tantum exigeret ea, quæ beatitudini sunt essentialia, satis illi esset ad habendam beatitudinem essentialem, de cuius metaphysico conceptu agimus in præsentem. Quapropter ex exigentia gratiæ, quæ de facto datur, minimè possumus inferre, quænam sit essentialis nostra beatitudo objectiva.

Supp. 3. In hypothese præsentem controversiæ statuentis, quod daretur visio intuitiva essentia, & non intuitiva personarum, talem visionem fore præcisivam, non autem detractivam, aut immutativam; affirmaret enim, Deum esse unum, sed non negaret, imò neque posset negare, Deum esse trinum, ac proinde cognosceret Deum ut est, non verò aliter, ac est in se. Ratio est, quia actus supernaturalis, ut ex sæpè dictis constat, non potest esse falsus; ac proinde non potest affirmare, quod Deus non sit trinus, ideoque non potest esse detractivus prædicatorum divinarum: actus enim detractivus negat prædicatum, quod ipsi objecto convenit: sicut & immutativus affirmat, quod objecto repugnat, ideoque dicitur attingere objectum aliter, ac est: actus verò præcisivus non negat objecto prædicatum, quod ipsi convenit, neque affirmat, quod ipsi non convenit, sed affirmat aliquid prædicatum, quod objecto convenit, licet simul præscindat ab alio, quod etiam convenit; ideoque dicitur non cognoscere objectum aliter, ac est, sed ut est in se: sic per actum fidei divinæ, quo credimus, Deum esse unum, præscindendo à Trinitate, attingimus non quidem Deum chymæricum, aut aliter, ac est in se, sed Deum verum, & realem, ut est in se.

Supp. 4. Dari triplicis generis perfectionem.

Prima

Prima dicitur perfectio pura simpliciter simplex, quæ perfectior est quocumque alio realiter ab ipsa distincto. Huiusmodi est essentia divina; cum non possit dari aliquid realiter ab illa distinctum, quin sit multò minùs perfectum, quàm ipsa essentia divina. Unde essentia divina continet aut formaliter, aut eminenter per conceptum simpliciter simplicem omnem perfectionem possibilem; quæ de causa ipsa sola ratione sui est tam perfecta, ac tota Trinitas; & quæcumque Persona divina ratione essentia, cum qua identificatur, aut ratione identificabilitatis, est tam perfecta ac tres simul divinae Personæ: continentia enim eminentialis per conceptum simpliciter simplicem est tam perfecta, ac continentia formalis per conceptum non simpliciter simplicem. Quæ est ratio Augustini Serm. 38, de Temp. dicens: *Tantus solus est Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantum est simul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Exinde perfectio simpliciter simplex obiectum primum dicitur voluntatis divinae. Secunda dicitur perfectio pura non simpliciter simplex: huiusmodi est quæcumque perfectio, aut relativa, aut contingens identificata cum essentia divina; nam una relatio non est perfectior aliâ realiter ab ipsa distincta; neque unus actus divinus contingens est perfectior aliò, à quo potuisset excludi. Tertia dicitur perfectio mixta cum imperfectione, qualis est quæcumque perfectio creata, cum sit impotens habere identitatem cum illimitatione. Quamobrem beatitudo essentialis obiectiva non constituitur ex quacumque bonitate attracta à visione beatifica; aliter constitueretur ex intrinseca bonitate possibili creaturæ, quam Deus necessariò cognoscit per ipsam cognitionem, qua cognoscit se ipsum: sed tantum constituitur per bonitatem, quæ sit primum divinae voluntatis obiectum. Illis politis

286. Affero cum secunda sententia. Sub hypothese, quòd rationalis creatura intuitivè videret Deum ut unum, licet ipsum non videret ut trinum, adhuc retineret essentialem suam beatitudinem; ac proinde Deus intuitivè visus ut trinus non constituit essentialem beatitudinem obiectivam creaturæ. Prob. 1. Essentialis beatitudo obiectiva creaturæ est ultimus per se finis creaturæ, ut adversarii fatentur, & constat à num. 15. atqui ultimus per se finis creaturæ non constituitur per Deum ut trinum, sed per Deum ut unum; ergo &c. Prob. min. Finis per se ultimus creaturæ, & primum principium idem prorsus sunt, sibi que ad invicem correspondent, ut fatentur adversarii, & constat ex Scriptura cit. num. 16. & ex Catech. Rom. cit. num. 195. Atqui 1. creaturæ principium non est Deus ut trinus, sed ut unus; aliter creatura non solum connecteretur cum Deo ut uno, sed etiam cum Deo ut trino, quòd adversarii constanter negant; ergo &c.

287. Confir. & explicatur hæc ratio. Virtus ad extra productiva stat in sola essentia, sive omni-

potentia realiter, & virtualiter idem: non autem in relationibus virtualiter ab ipsa distinctis ideoque manente divina essentia, licet per impossibile relationes non manerent, persisteret tota virtus creaturarum productiva, ipsarumque primum principium: quæ de causa docent ipsi adversarii, & ferè omnes Theologi in Tract. de Trin. creaturam connecti cum omnipotentia, sive cum Deo ut uno; non autem cum relationibus, sive cum Deo ut trino: si enim omnipotentia non esset tota, & adæquata virtus ad extra productiva, sed hæc ulterius includeret relationes, cum una Persona divina non constitueretur per relationem alterius, fieret exinde, quòd neque esset una indivisibilis causa divina producens creaturam, quòd non est consonum fidei: sicut enim Pater adæquatè est Deus, & Filius adæquatè est Deus, & Spiritus Sanctus adæquatè est Deus, & non alter, sed idem Deus, quia unaquæque divina Persona identificat sibi non quidem alteram, sed eandem indivisibilem adæquatam Deitatem, ut constabit num. 293. Ita similiter Pater est adæquata divina causa producens creaturam, Filius est adæquata divina causa producens creaturam, & Spiritus Sanctus est adæquata divina causa producens creaturam; quia unaquæque divina Persona identificat sibi non quidem alteram, sed eandem indivisibilem essentiam, seu omnipotentiam, quæ est adæquata divina virtus, & causa creaturarum productiva; exindeque ut docent Concilia, verè inseparabilia sunt opera Trinitatis ad extra; ergo primum creaturarum principium non est Deus ut trinus, sed ut unus: ac proinde & ultimus per se creaturarum finis erit Deus ut unus, secus autem ut trinus.

Prob. 2. Visio intuitiva solius essentia divinae perpetuam felicitatem promittentis, & amor ab ipsa dependens est affectio primi principii, ut bonum est infinitum essentialiter depulsivum omnis miseriae creaturæ; atqui obtento primo principio ut est bonum infinitum, & essentialiter depulsivum omnis miseriae creaturæ, manet creatura quæta, & satiata, atque aded cum essentiali sua beatitudine; ergo visio intuitiva solius essentia divinae perpetuam felicitatem promittentis cum amore ab ipsa pendente, satis est, ut creatura obtineat essentialem suam beatitudinem. Confir. 1. Contra Thomistas ex ipsorum principiis: Visa, & amata divina essentia, etiam si non viderentur Personæ, ostenderetur, & amaretur omne bonum; cum relationes, ut ferè omnes Thomistæ docent, nullum in se contineant bonitatem, nisi bonitatem solius essentia; atqui essentia beatitudinis stat in eo, quòd sit amatum, & ostensum omne bonum, juxta illud Ex. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi;* ergo &c. Confir. 2. Sola essentia divina est obiectum formale visionis beatificæ juxta communem Thomistarum sententiam; atque aded cum specificatio actus sumatur ab obiecto formali, ut ipsi docent, manente sola essentia, maneret totum specificativum visionis beatificæ:

cæ:

ca: atqui manente toto specificativo visionis beatificae, maneret visio beatifica; ergo visio, quae intrueretur essentiam divinam, licet non videret relationes, esset beatifica; ac proinde beatitudo essentialis objectiva reponenda est in sola essentia divina.

289. Resp. Gonetius, talem visionem nequaquam fore beatificam; quia visio beatifica videt Deum, ut est in se: Deus autem est in se non est solum unus, sed etiam trinus: cumque illa visio non videret Deum ut trinum, non videret Deum, ut est in se; ex quo deficeret à ratione beatificae. Contrà tamen primò. Visio intuitiva, quae intuitivè videret essentiam divinam non visis relationibus, videret Deum ut est in se unus, licet non videret Deum, ut est in se trinus: sed ex eo, quod videret Deum, ut est in se unus, licet illum non videret, ut est in se trinus, videret illum secundum id, quod est objectum essentialiter beatificum, ut constat à num. 286. ergo &c. Contrà secundò. Actus supernaturalis fidei, quo aliquis credit Deum ut unum, nihil cogitando de Deo ut trino, non attingit Deum aliter, ac est in se, sed Deum, ut est in se: ergo visio intuitiva, quae videret Deum ut unum, quin videret Deum, ut trinum, non videret Deum aliter, ac est in se, sed Deum, ut est in se.

290. Contrà 3. & quaero ab adversario, quid intelligat per *ly ut est in se*. Si enim intelligat, quod visio nequit esse beatifica, quin attingat Deum omni modo, quo est attingibilis, cum Deus sit in se attingibilis comprehensivè per cognitionem, qua se ipsum cognoscit, & nulla creatura possit Deum comprehendere; in hoc sensu nulla creatura cognosceret Deum, ut est in se: ac proinde nulla visio creata esset beatifica, quod est contra fidem. Si verò intelligat, quod non solum attingatur unitas, sed etiam Trinitas, est purè respondere per quaestionem; quaerimus enim rationem, cur ita debeat esse, quandoquidem visio essentiae divinae perpetuam felicitatem promittentis est quiesca possessio infinitae bonitatis Dei, ut est in Deo ut uno; atque adeò ut est potens excludere à creatura omnem miseriam, eamque quietam, & satiatam habere in aeternum. Qua de causa est vera possessio Dei ut primi principii, quod quidem verum principium primum convertitur cum ultimo fine per se creaturae: dum enim adversarius nullam reddit rationem, indissolubile tamen relinquit argumentum nostrum.

291. Prob. 3. Si per impossibile Deus non esset trinus in Personis, ejus tamen intuitiva visione, & amore fruitivo homo beatificaretur, non minus, quam ab ipso ut uno posset produci; sicut enim perfectio personalitatem non pertinet ad essentialiam exigentiam creaturae ex num. 287. Sed ad exigentiam Dei; ita neque pertinet ad essentialiam comprehensionem Dei; ergo essentialis beatitudo hominis non exigit visionem personalitatem. Antecedens patet; quia sicut in ea hypothese maneret primum creaturae princi-

pium, ita maneret summum bonum; & summum verum; ac possessum pro ut est in se, possidentem beatificaret. Consequentia verò probatur. Ideo colligimus, relationes non esse de essentia Dei, ut est in se, principium creaturatum, quia si per impossibile perirent relationes, Deo remanente ut uno, salvaretur in eo ratio primi principii: ergo si in data hypothese essentia beatitudinis subsisteret, rectè colligitur, illam non petere essentialiter visionem divinam Personarum; atque Deum ut unum esse objectum sufficiens ad nos beatificandum. Confr. visio quae defectò creatura videret Deum ut unum, non esset minus perfecta, quam visio, quae in illa hypothese videret Deum ut unum; ergo si visio in illa hypothese sufficiens esset ad essentialiam creaturae beatitudinem, etiam defectò sufficiens erit ad essentialiam beatitudinem creaturae.

Resp. Gonetius, visionem, quae videret modò Deum tantum ut unum, non fore minus perfectam in ratione visionis, bene verò in ratione beatificantis. Ratio est, quia in ea hypothese, ea visio non solum esset visio, sed etiam beatitudo formalis, cum videret Deum, ut est in se; modò verò si visio videret tantum Deum ut unum, cum non videret Deum, ut est in se, solum haberet rationem visionis, non verò rationem beatificantis. En iterum petitionem principii & quidem clariùs patentem, atque contra principia philosophica pugnantem. Quamobrem contrà primò. Quamvis homo defectò non solum sit animal rationale, sed etiam admirativum, risibile &c. essentia metaphysica hominis defectò non est admirativum, risibile &c. Sed tantum animal rationale, eo vel maxime, quod si per impossibile daretur animal rationale, & non daretur admirativum, risibile &c. adhuc persisteret tota essentia metaphysica hominis; ergo si manente visione unitatis, quin maneret visio Trinitatis, adhuc persisteret essentialis creaturae beatitudo, ac proinde visio, quae defectò datur, non constituitur in esse beatitudinis essentialis, prout attingit Trinitatem, sed prout attingit unitatem. Contrà 2. Expressio Trinitatis non requiritur ut visio attingat primum creaturae principium, atque infinitum ipsius bonum, ut constat à num. 287. & 289. ergo neque ut sit essentialiter beatificans.

Prob. 4. Relationes non sunt de constitutivo essentiae divinae, ut essentia est in se; atque adeò visio essentiae divinae praecise, ut est in se, non debet se extendere ad videndas relationes; atqui visio essentiae divinae praecise, ut est in se, sufficiens est ad essentialiam creaturae beatitudinem; ergo ad essentialiam creaturae beatitudinem non requiritur visio personalitatem. Consequentia tenet, & minor videtur certa; cum essentia Dei, ut est in se, sit primum principium, & bonum essentialiter infinitum. Major verò constat ex Tractatu de Deo à num. 86. cum etiam ex Concilio Lateran. Maximo cap. 2. definitur, *Essentiam divinam esse eandem indivisibilem*

visibilem per identitatem in Patre, in Filio, & in Spiritu Sancto, qualis non esset, si constitueretur per relationes. En Concilii Verba: *Qualibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, qua sola est universorum principium, præterquam aliud inveniri non potest.* Et infra agens de natura, sive substantia, quam Pater Filio communicavit, *Dici non potest, quid partem suæ substantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi, cum substantia Patris indivisibilis sit.* Pater ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater, & Filius habent eandem substantiam: & sic eadem res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Tum etiam sexta Synodus generalis ac 11. *Sancti Trinitas numerabilis Personarum facta est substantiis, sive Sancta Unitas extra omnem numerum est; & hæc quidem indivisibilem habet divisionem, & inconfusam gerit conjunctionem.* Sic etiam Concilium Toletanum 11. *In relatione enim Personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia, quod numeratum sit, non comprehenditur.*

294. Resp. Gonnertus dupliciter posse considerari constitutionem divinæ naturæ, scilicet ut physica, & ut metaphysica. Physica Dei constitutio, aut ipse, coalescit ex omnibus prædicatis divinis tam absolutis, quam relativis; cum omnia Dei prædicata sint realiter identificata cum Deo: metaphysica verò illius constitutio fit per illam perfectionem, quæ primò obijcitur intellectui cum fundamento in re, & se habet veluti radix, & origo aliarum; & hoc genere constitutionis Deus constituitur per ipsum intelligere purissimum, & actualissimum. Unde licet relationes non sint de metaphysica constitutione divinitatis, pertinent tamen ad illam essentialiter secundum physicam constitutionem: cum autem visio beatifica essentialiter petat terminari ad Deum, prout est in se physice, non verò prout obijcitur inadæquatis conceptibus nostri intellectus, essentialiter petit terminari non solum ad naturam divinam, & attributa, sed etiam ad relationes, & Personas; atque adeò si non terminaretur ad Personalitates, licet terminaretur ad essentiam, non esset beatifica. Quor & quanta difficillima dictu in hac responsione contineantur, satis constat ex dictis. Quapropter

295. Contra 1. Pater æternus producendo filium, non solum communicat illi essentiam divinam metaphysice sumptam, verum & physice, & realiter acceptam, & ut est ad extra reale, & physicum omnium principium, ut constat ex Lateran. cir. num. 293. atqui non communicat illi relationes; ergo relationes non sunt de constitutivo essentia realis, & physicae Dei. Contra 2. Essentia physica, sive apellatur substantia, sive essentia, sive natura, est eadem indivisibilis per identitatem in Patre, in Filio, & in Spiritu Sancto, ut constat ex eodem Lateran. cir. Atqui si essentia physica Dei constitueretur ex relationibus, non esset eadem indivisibilis per identitatem in Pat-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

re, in Filio, & in Spiritu Sancto, cum una relatio non sit indivisibiliter altera, sed realiter ab altera distincta, ut constat ex fide: aliter non darentur in Deo tres Personæ realiter distinctæ, quod est contra fidem. Ergo essentia physica Dei non constituitur per relationes. Contra 3. Pater est idem indivisibilis physicus realis, & verus Deus, ac Filius, & Spiritus Sanctus: tum etiam Filius est indivisibilis idem physicus, realis, & verus Deus, ac Pater, & Spiritus Sanctus: tum etiam Spiritus Sanctus est idem indivisibilis physicus, realis, & verus Deus, ac Pater, & Filius: atqui non sunt eadem indivisibilis Personalitas; ergo Deitas sive essentia Dei realis, & physica, non constituitur per Personalitates. Ex dictis

296. Fit 1. Essentiam divinam esse de constitutivo essentiali beatitudinis nostræ objectivæ; ac proinde constituere beatitudinem objectivam, quidquid essentialiter constituit essentiam physicam Dei: cum autem essentia physica Dei constituitur ex omnibus prædicatis necessariis absolutis, quorum quodlibet formaliter consideratum dicitur etiam essentialiter attributum, ex dictis à num. 109. de Deo, exinde hæc omnia sunt essentia nostræ beatitudinis objectivæ. Fit 2. Essentia Dei physice sumpta ita indivisibilem esse, ut non admittat prædicata ejus constitutiva, nedum realiter, verum neque virtualiter intrinsece inter se distincta. Ratio est, quia inter prædicata Dei necessaria absoluta, nulla reperiri potest distinctio virtualis intrinseca, ut late constat à num. 130. de Deo. Fit 3. Essentiam divinam, atque volitionem cum ipsa identificatam, qua Deus vult se per totam æternitatem creaturæ communicare, esse de constitutivo essentialis objectivæ beatitudinis, non minus, quam volitio, quæ Deus vult creaturam producere, sit de constitutivo in actu secundo principii divini producentis: ad eum quippe modum, quo promissio divina dandi gloriam dicitur à Theologis esse de constitutivo objecti spei nostræ Theologiæ: Ratio est, quia nostra spes Theologica fundatur in Deo auxiliante, & promittente; ita nostra certa beatitudo in Deo conferente æternam felicitatem, ut constat à num. 217.

SECTIO II.

Solvuntur opposita.

297. Objic. 1. Ut essentia divina sit sufficiens obiectum ad nos beatificandum, debet videri, ut est in se: atqui illa visa sine Personis, non videtur, ut est in se, ergo ut sic non est ad beatificandum sufficiens: consequentia tener, & min. videtur certa; nam Deus ut est in se, nõ solum est unus, sed etiam trinus absq; ulla distinctione reali inter essentiam, & relationes: atq; adeò visa per impossibile essentia divina sine Personis, Deus non videretur, ut est in se. Maj. verò probatur ex illo 1. Joan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est.* Ubi causalitas illa *Quoniam* significat causam, seu rationem à priori, ut visio Dei sit beatifica; nimirum quia terminatur ad illum, ut est in se; ergo &c.

Pp

Confr.

298. Conf. 1. Ut cognitio Dei in statu elevationis sit essentialiter beatifica, debet esse intuitiva, & non purè abstractiva: atqui cognitio intuitiva debet ad illum, ut est in se, terminari; per hoc enim distinguitur cognitio intuitiva ab abstractiva, quòd hæc apprehendit objectum proportionaliter ad captum intellectus, & distinguit illud, non ut est in se, sed tantum in habitudine ad ipsum intellectum; intuitiva verò videt, & intuetur objectum, ut est in se à parte rei: ergo cognitio Dei, ut sit beatifica, debet ad illum, ut est in se terminari. Confirmat. 2. Illa solum cognitio Dei est beatifica, quæ quietat appetitum innatum gratiæ; sed appetitus innatus gratiæ est ad Deum videndum, prout est in se ipso: gratia enim utpote semen gloriæ inclinât ad Deum videndum eo modo, quo defacto à Beatissimis videtur; ergo &c.

299. Resp. dist. maj. Ut est in se, sumpto ly *est* essentialiter, conc. sumpto ly *est* relativè, neg. maj. & dist. min. ejusque probatione neg. conseq. Ad probationem maj. dist. eodem modo ant. & neg. conseq. Explico distinctionem: natura divina, & ratio paternitatis (idem suo modo de natura, & aliis relationibus) ut sunt in se realiter absolute identificantur; at virtualiter intrinsece distinguuntur; cum realiter absolute conveniat aliquid virtualitati naturæ, quod quidem non convenit virtualitati paternitatis. Natura enim realiter absolute est filiatio; paternitas verò realiter absolute non est filiatio, sed distinguitur realiter à filiatione: unde inter naturam divinam, & paternitatem datur duplex virtualis identitas: altera quidem se habens ex parte naturæ, quæ natura identificatur cum paternitate: & hæc est essentialis, atque communis toti Trinitati: altera verò se habens ex parte paternitatis, quæ paternitas identificatur cum natura, & hæc virtualis identitas non est essentialis, neque communis toti Trinitati, sed relativa, solumque patri conveniens. Exinde qui intuitivè videret naturam secundum totam virtuales identitates se tenentem ex parte naturæ, licet non videret identitatem virtuales se tenentem ex parte paternitatis, certè videret naturam, ut est in se, sumpto ly *est* essentialiter: licet illam non videret, ut est in se, sumpto ly *est* relativè; quod quidem satis esset ad beatitudinem essentialem objectivam creaturæ, ut constat à n. 286.

300. Ad primam confirm. dist. maj. debet esse intuitiva essentiæ divinæ secundum essentialia, quod ipsi convenit, conc. secundum relativum, quod convenit naturæ, neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ad secundam confirm. dist. maj. Appetitum innatum gratiæ, secundum exigentiam, quam habet ad essentialem beatitudinem, conc. ad alias proprietates defacto comitantes, essentialem beatitudinem, neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Quinimò, quod mirum est, neque in hoc dubitare possunt adversarii, quandoquidem docent, gratiam habere etiam exi-

gentiam ad dores corporis, quæ certè non sunt de essentiæ beatitudinis, ut ipsi fatentur. Quare ab exigentia gratiæ nullum desumi potest argumentum pro hypothesi, de qua loquimur, ut monui num. 283. Quapropter in ipsa hypothesi, quam supponunt adversarii ad contrariam, supponendo nimirum visionem intuitivam essentiæ divinæ, quæ non sit intuitio personalitatum, supponunt tendentiam ad essentialia, quæ non sit tendentia ad relativa, quantumvis identificentur cum essentialibus. Unde à nulla entitate creata potest in præsentia paritas desumi, cum in creatis nullum sit prædicatum physicum identificatum cum essentiæ, quod de physica rei essentiæ non sit; secus autem in divinis ex num. 293. & 295.

Obj. 2. Non minus est de ratione beatitudinis quietare perfectè intellectum, quam satiare perfectè voluntatem; atqui si visio creata repræsenteret essentiæ divinam, & non repræsenteret modum, quo subsistit in tribus personis, non quietaret voluntatem; ergo non esset beatifica. Major, & conseq. tenent. Minor verò probat. Creatura videns aliquam formam, desiderat videre modum, quo subsistit, & non quietatur, donec videat illum; ergo visio creata repræsenteret essentiæ divinam, & non repræsenteret modum, quo subsistit, non quietaret voluntatem. Conf. Si natura divina per impossibile subsisteret in tribus suppositis, non quietaretur intellectus creatus, qui eam videret, & non videret illam ut subsistentem in uno illo supposito; ergo ex eo, quòd natura divina necessario subsistat in tribus suppositis, non quietaretur intellectus creatus videns naturam divinam, & non videns illam subsistentem in tribus suppositis. Retorqued argumentum. Non minus est de ratione beatitudinis quietare perfectè voluntatem, quam satiare perfectè intellectum: atqui si Deus per cognitionem necessariam, quæ cognoscit se ipsum, non cognosceret etiam creaturas possibles, non sariaretur intellectus divinus, cum sit cognoscitivus omnium cognoscibilis; ergo creaturæ possibles sunt de constitutivo beatitudinis objectivæ ipsius Dei.

Resp. Deinde conc. maj. & neg. min. ad prob. dist. ant. Videns aliquam formam limitatam, quæ non est exclusiva omnis miseræ, conc. aliquam formam infinitam, & illimitatam, atq; exclusivam omnis miseræ, neg. ant. & conseq. Ad confirm. neg. ant. quia in illa duplici hypothesi impossibili, nimirum quòd natura divina esset una sola persona, & quòd intuitivè videri posset, non visa personalitate, adhuc repræsenteretur, ut perfectio simplicitet simplex & primum omnium principium: atq; ut per vim, & promissionem suam exclusivam omnis miseræ, in quò stat objectum essentialia beatificum creaturæ ex n. 296. Quapropter duo hic confundunt adversarii valde diversa. Aliud enim est, quòdnam sit illud objectum per

conceptum simpliciter simplicem continens omnem perfectionem, atque cum sui possessione promittens creaturam perpetuam felicitatem: & aliud est, quænam sint illius objecti proprietates, aut effectus ab ipso producti, vel producibiles: objectum enim illud perpetuam felicitatem promittens, quod quidem est essentia divina, est essentialis objectiva beatitudo: relationes verò cum ipsa identificate sunt proprietates, ut docent Patres & Theologi apud Ruiz disp. 86. de Trin. sect. 2. Sic Nazianzenus orat. 37. quæ est 5. de Theol. *Colamus Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum S. tres proprietates, unam Deitatem.* Creaturæ verò sunt effectus aut producti; aut producibiles.

303. Hæc autem doctrina nostra adeo mihi certa apparet, ut vel ipsi adversarii velint, nolint, teneantur eam ipsam docere. Si enim ad essentialem beatitudinem objectivam, satis non esset objectum continens omnem perfectionem per conceptum simpliciter simplicem, ex cuius aut natura, aut promissione certificatur possidens ad implendum totum suum rationabile desiderium; sed ulterius requireretur ad constituendam objectivam beatitudinem essentialem, totum id, quod vel à visione, vel à desiderio attingitur, exinde fieret, quòd creaturæ possibiles essent de constitutivo essentialis beatitudinis objectivæ ipsius Dei, ut dixi n. 301. Cum visio, quæ Deus se intuetur, utpote divina, non possit non cognoscere omne cognoscibile; ac proinde non possit non cognoscere creaturas possibiles: nec voluntas divina possit velle in Deo cognitionem non divinam.

304. Pariter cum anima beata videat reunienda esse corpori, & de exigentia visionis beatificæ sit, quòd corpus reunire non habeat æternam penam, ut constat ex n. 222. Quandoquidem creatura non maneret cum æterna pena quæta, & satiata; exinde impassibilitas, & aliæ gloriose dotes essent etiam de constitutivo essentialis objectivæ beatitudinis creaturæ. Quapropter sicut creaturæ possibiles non sunt de constitutivo essentialis beatitudinis objectivæ Dei; neque gloriose dotes sunt de constitutivo essentialis beatitudinis objectivæ creaturæ, sed proprietates ab illa dimanantes; ita & relationes divinæ: cum hoc tamen discrimine, quòd respectu cuiuslibet beatitudinis possibilis Deo in hypothesi, de qua loquimur, sunt proprietates metaphysicæ: respectu verò cuiuslibet beatitudinis possibilis creaturæ in hypothesi, de qua loquimur, non sunt proprietates, ut constabit ulterius n. 309.

305. Obic. 3. Deus præcisè ut unus non est objectum sufficiens suæ beatitudinis; ergo nec nostræ. Consequentia videtur legitima, quia cum nostra beatitudo sit participatio divinæ, felicitatis, idem debet esse objectum utriusque; sicut quia charitas est participatio amoris, quo DEUS se ipsum diligit, idem habet objectum, quòd dilectio divina. Antecedens autem probatur. Dei beatitudo est formaliter Dei comprehensio; sed Deus ut unus non est ob-

jectum sufficiens comprehensionis sui; ergo neque suæ beatitudinis. Consequentia tenet, & major est certa: nam cognitio beatifica, qua Deus beatus est, debet esse perfectissima, ut infinita, subindèque comprehensiva. Minor verò probatur. Objectum comprehensionis debet esse cognitum, quantum cognoscibile est: sed Deus cognitus præcisè ut unus, non cognoscitur; quantum cognoscibilis est; cum etiam sic cognoscibilis ut Trinus: ergo Deus cognitus præcisè ut unus non est sufficiens objectum comprehensionis suæ.

306. Conf. 1. Si per impossibile Deus se cognosceret solum ut unum, & non ut trinum; talis cognitio non esset ejus beatitudo, cum non esset comprehensio Dei; ergo si à nobis cognosceretur solum ut unus, talis cognitio non esset beatitudo nostra. Conf. 2. Relationes divinæ cognitionis per divinam comprehensionem in eo distincta guntur à creaturis per divinam eandem comprehensionem cognitæ, quatenus creaturæ sunt objectum secundarium: relationes verò primum; atqui objectum primum divinæ comprehensionis pertinet ad constitutum essentialis objectivæ beatitudinis DEI; ergo &c. Confirm. 3. Si videretur à creatura essentia sine personalitatibus; cum absque personalibus non subsistat, non cognosceretur; quid esset illud principium: principium quippe non subsistens est purè chymæicum; ergo non sufficeret ad faciendum intellectum cognoscentis; ac proinde neque ad objectivam beatitudinem.

307. Resp. 1. Omitto ant. & neg. conf. Quòd totum ruit argumentum. Ratio est; quia nostra beatitudo non est participatio beatitudinis Dei in ordinè ad omnia; ad quæ se extendit beatitudo Dei: sicut neque charitas creata debet se extendere ad omnia, ad quæ se extendit charitas Dei. Sic qui in lege antiqua eliciebant actum fidei de Deo ut uno, nihil sciendo, aut cogitando de Deo ut Trino, eliciebant actum charitatis sufficientem ad justificationem. Deus autem nequit se amare ut unum, quin etiam se amet ut trinum. Deus pariter nequit cognoscere; nisi per cognitionem divinam comprehensivam suorum prædicatorum; atque adeò cognitio non cognoscens Deum ut unum simul; & trinum, non esset divina, neque attingeret, quidquid ratione cognitionis divinæ Deo deberetur. At cognitio creata; quæ creata, non exigit Trinitatem, ideòque non exigit se extendere ad omnia prædicata divina, ad quæ cognitio divina beatifica se extendit. Unde à beatitudine divina, ad creatam nulla tenet paritas. Cæterum quia principium istud ab adversariis assumptum fallum etiam est.

308. Resp. 2. neg. ant. ad prob. dist. maj. Dei beatitudo est Dei comprehensio, exigendo ad essentialis beatitudinis omnia prædicata objectiva; quæ exiguntur ad comprehensionem, neg. non exigendo, conc. maj. & dist. min. neg. conf. Ad prob. dist. maj. objectum comprehensionis, quæ comprehensio eorum est; conc. quæ formalis, & essentialis beatitudo, neg. maj. & dist. min. neg. consequentia.

queat. Ratio est, quia comprehensio, quæ comprehensio, attingit plura prædicata, quæ nõ attingit comprehensio, quæ beatitudo, ut certum est, & docent ipsi adversarii; comprehensio enim, quæ Deus suam essentiam, & omnipotentiam cognoscit, nequit esse comprehensio omnipotentiae productivæ creaturarum, quin comprehendat, & agnoscat creaturas. Cum autem creaturæ non sint de constitutivo beatitudinis objectivæ Dei, exinde apparet evidens, quod comprehensio, quæ comprehensio, attingat plura objecta, quàm comprehensio, quæ beatitudo. Comprehensio quippe perfectissima alicujus objecti, qualis est divina comprehensio, debet cognoscere in objecto, quidquid ratione illius cognoscibile est, ac proinde cum ratione omnipotentiae connexæ cum creaturis, sint etiam cognoscibiles creaturæ, divina comprehensio debet habere pro objecto creaturas. Nec exinde creaturæ possibiles possunt dici tam necessariæ ac Deus: nam necessitas possibilis solum est impropria, & per alienationem; necessitas verò omnipotentiae est propria, & per statum; necessitas autem impropria, & per alienationem, non est tanta, quanta necessitas propria, & per statum.

309. Ad beatitudinem verò satis est, possidere summum, atque simpliciter simplex verum, & bonum, eum securitate ex vi objecti possessi, possidendi etiam, quidquid statui possidentis debetur. Deus autem in ipsa essentia divina possessa agnoscit exigentiam essentialem identificandi sibi necessario, quas identificatas sibi cognoscit, omnes divinas relationes inter se realiter distinctas, & quoscumque actus sive liberos, sive contingentes, quos Deus eliquerit, simulque & cognoscendi semper, quidquid cognoscibile sit, habendi, quidquid Deo competit: ita ut sola essentia sit perfectio simpliciter simplex ea omnia primario exigens: reliqua autem ipsi debita sint solum aut proprietates, aut attributa, aut termini ipsius exigentiae: unde adhuc respectu Dei sola essentia divina est beatitudo essentialis objectiva. Respectu verò creaturæ superadditur promissio æternæ felicitatis: quia essentia divina non habet ex sua essentia exigere essentialiter perpetuam creaturarum felicitatem, nisi dependenter à suo libito, cum Deus absolute sit Dominus potens creaturam miseram in æternum relinquere, aut ipsam æterna felicitate beare. Exinde

310. Ad primam confirmationem dist. ant. Non esset ejus beatitudo ex defectu formali naturæ, quæ defecto est, conc. ex defecto formali relationum, neg. ant. & consequ. Ratio est, quia si Deus in illa hypothese impossibili cognoscens intuitivè naturam per cognitionem æquè perfectam, ac est ipsa natura, atque cum illa realiter, & virtualiter identificatam nõ cognosceret exigentiam essentialem ad identificandum sibi relationes &c. cum illa cognitio utpote realiter, & virtualiter identificata cum natura, non esset eadem, quæ defecto est, sed valde diver-

sa, ita natura non esset eadem, quæ defecto est, sed valde diversa, ac proinde ex formali defectu essentialis beatitudinis objectivæ Dei, deficeret quoque beatitudo Dei. Verum quid exinde ad casum nostrum? Ad 2. confir. neg. maj. Quia objectum primarium est sola perfectio simpliciter simplex; atque adeo relationes non sunt objectum primarium, sed proprietates metaphysicæ objecti primarij ex n. 302. vi. cujus conceptus distinguuntur relationes divinæ à creaturis.

Ad 3. confir. dist. ant. non cognosceretur, quid esset essentialiter, neg. extra essentialiter, seu potius relativè, conc. ant. & neg. consequ. Neque exinde videretur ut principium chymericum, cum extra essentialia, aut relativa non attingerentur per illam visionem exclusivè, sed præcisivè ex n. 289. Neque illa visio creata deberet cognoscere naturam, quantum cognoscibilis est; sed quantum sufficeret ad creaturam in æternum beandam. Tunc enim si detur substantia absoluta, ut cum Exim. Doctore plures docent, cognosceretur Deus ut absolute subsistens: si verò non detur substantia absoluta, ut alii judicant, cognosceretur saltem Deus secundum essentialia: ad eum quippe modum, quo anima separata nõ subsistens cognosci potest secundum essentialia: & ut potens producere effectus, & actus à sua essentia pendentes, quod satis est, ut ab ipsa possit ita quantumque creatura beari, ut quieta, & satiatam in æternum maneret.

Objic. 4. Non repugnat visio intuitiva Dei, quæ non possit discernere Deum à non Deo; ac proinde, quæ non sufficiat ad beandum: ergo divina essentia visa absque personalitatibus, non esset sufficiens ad beandum; ac proinde neque est essentialis beatitudo nostra objectiva. Prob. ant. Non repugnat visio intuitiva albedinis, & nigredinis, quæ non possit discernere albedinem à nigredine: ut patet in eo, qui videns intuitivè à longè duos parietes album unum, & alterum nigrum, nequit discernere, quisnam sit albus, quisnam verò niger: aut in eo, qui cum luce remississima eos conspicit: ergo eodem modo poterit aliquis videre intuitivè Deum, & creaturam, quin discernere possit Deum à creatura. Hoc argumentum plus justò promovent Ripalda, & Arriaga, judicantes, talem visionem esse possibilem; immeritò tamen; ideòque

Resp. neg. ant. ad probat. conc. ant. & neg. conf. Ratio discriminis est, quia potentia corporea visiva est materialis, atque adeo ea, quæ imperfectè materialiter differunt, difficile discernuntur: ideòque albedo, & nigredo, homo, & leo, dum à longè videntur, facile confunduntur, quod non ita fit, si quàm maximè materialiter differant: sic quando maximus mons, & formica intuitivè videntur, nequaquam confunduntur, neque potentia visiva manet suspensa, aut inducit dubium, quo homo vacillet, an mons ille sit formica, vel formica sit mons. Cum autem Deus & creatura magis incomparabiliter differant,

quam maximus omnium mons, & minima omnium formica, exinde nequit homo intuitivè videre Deum; & creaturam, quin certissimè discernat Deum à creatura: Unde paritas suo pondere ruit, adhuc innitendo materiæ, supra quam ab adversariis adstruebatur. Cæterum si res aliquantò attentius introspectatur, facile apparabit, quàm à longè petita sit paritas.

314 Ratio est, quia intellectus operans independentè à sensu, ac proinde independentè ab objecti distantia, vel indistantia locali; non est capax nubecularum, aliarumque indispositionum, quibus vitiato mediò; aut sensario vitiato, vitiatur directè visio corporalis, & indirectè mentalis; & utraq; impeditur; ne discernat unum objectum ab altero. At intellectus intuitivè videtis objectum, nempe Deum, elicit visionem ex concursu immediato, vel specie ipsius Dei propria, seclusis illis nubeculis: unde ea visio est signum; seu expressio clara Dei, ratione cuius manet Deus quasi signatus in intellectu Beati. Ad eum modum; quo signum clarum impressum à sigillo, continente imaginem unius objecti manifestè discernitur à signo claro impresso ab altero sigillo continente imaginem alterius objecti; licet inter plura signa, clara dari queat magis, & minus. Verumtamen sicut inter illa nequit dari confusio, ita dari nequit confusio inter intuitionem mentalem objecti creati, & intuitionem mentalem objecti divini. Quæ est ratio, propter quam visio intuitiva Dei nequit elici à pura natura, quamvis ab ipsa possibile elici actus non discernentes unum objectum ab altero.

315 Objic. 5. D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 8. docens teneri nos explicitè credere Trinitatem; sibi objicit hoc tertium argumentum: *Illud tenemur explicitè credere in Deo, quod est beatitudinis objectum: sed objectum beatitudinis est bonitas summa, quæ potest intelligi in Deo etiam*

sine Personarum distinctione; ergo non fuit necessarium explicitè credere Trinitatem. Ad hoc autem argumentum ita respondet. *Ad tertium dicendum, quod summa Bonitas Dei secundum modum, quo nunc intelligitur per effectus, potest intelligi absque Trinitate Personarum: sed secundum quod intelligitur in se ipso, prout videtur à Beatis, non potest intelligi sine Trinitate Personarum.* Et iterum ipsa visio Personarum divinarum perducit nos in beatitudinem. Ergo ex D. Thomas essentialis beatitudo nostra objectiva non est Deus solum ut unus, sed etiam ut trinus. Resp. conc. ant. & neg. consequentiam. Quia D. Thomas non loquitur de beatitudine essentiali objectiva, prout contraposita ipsius proprietatibus, sed prout conjuncta cum illis, atque ita tractata à visione; non enim loquitur in hypothesi præsentis controversiæ, sed de visione & modo, quo defacto habetur à Beatis, ut patet ex ipso textu.

316 Quin imò si verba D. Thomæ attentè considerentur, maximè confirmant doctrinam nostram contra adversarios. Licet enim modò Beati videant Deum ut unum; & trinum; ac proinde essentiam, & relationes, sive Personas, attamen, ut in testimonio adducto docet D. Thomas, ipsa visio Personarum divinarum perducit nos in beatitudinem. Quid enim significare possunt hujusmodi verba, nisi quòd visio personarum non est visio objectivæ beatitudinis, sed ducens in objectivam beatitudinem: ad eum modum; quo visio proprietatum ducit in cognitionem essentiæ: unde ex D. Thomæ relationes non sunt objectiva beatitudo; sed divina essentia. Quare mirum non est, quòd moderni Thomistæ, quos imitatur Gonetius, non assumant jam hoc D. Thomæ testimonium contra nos, sed mirabile forsan erit, quòd nequè contra se ipsos objiciant; neque horum verborum mentionem ullam faciant.

DISPUTATIO VIII.

DE PRINCIPIIS CONCURRENTIBUS AD FORMALEM BEATITUDINEM EX PARTE POTENTIÆ.

317 Cum formalis beatitudo in actibus intellectus, & voluntatis sita sit ex dictis à num. 193. atque ad eliciendos eos actus vitales concurrat effectivè potentia cum principiis; quæ constituunt illam adæquatam in esse potentiam; quærimus in hac disputatione, quænam sint; & quomodo ea principia concurrant. Insuper cum actus intellectus à creatura elicitus sit expressio, & imago sui objecti, quo ab actu voluntatis distinguitur, qui nequè expressio, nequè imago objecti sui est: atque de ratione imaginis formalis objecti sit, quòd producat ab objecto, cuius est imago, vel ab aliquo concurrente loco objecti, exinde cognitio creata alicujus objecti non solum à potentia cognoscente, sed etiam ab

objecto; seu à comprincipio loco objecti concurrente debet produci. Quia de causa cognitionis essentialis Dei, licet sit cognitio; & expressio Dei; non est imago Dei; quia non est producta; ut ex principiis fidei; quæ habetur in mysterio Trinitatis docent Theologi, & exinde talis essentialis Dei cognitio, nequè est verbum mentis; nam imago, & verbum mentis sunt idem. Cognitio enim dicitur expressio quatenus repræsentat formaliter cognoscenti objectum; in quod tendit, ex quo titulo dicitur etiam species expressa. Dicitur verbum; & imago; quamvis in ipsa repræsentatur objectum per propagationem objecti, sive per veram productionem. Unde si terminus productus non sit